

DISSERTATIO PRÆLIMINARIS.

565. sqq. Jam & Sabbatum non fuisse institutum à Deo præcisè ad Israelitas ab idololatriâ avocandos, uti nec reliquos dies festos contra SPENCERUM illud asserentem f. 65. sqq. 155. sqq. fusè probatum ivit Meyerus in diatribe de origine & causis festorum Judaicorum. Add. Cattenburgii Spicileg. Theol. Limburgianæ f. 647. sqq. Mirum, Virum ingeniosum, qui dicit dies festos idololatriæ oppositos, f. 706. sqq. 804. sqq. alibique, eorum originem à gentibus idololatricis derivare. Quod restat, & hîc *προβ-ληψιν* SPENCERUS statuit, uti & cæteri, qui eandem tenent sententiam. Constat enim, in sacris frequentes esse *προβληψεις*. Vide Glassium in Gramm. sacrâ p. 753. 754. 799. sqq. Chamierum in Panstrat. Cath. T. 1. f. 280. 281. Episcopium in instit. Theol. op. T. 1. f. 270. 271. Hackspanium in not. Philol. Theol. P. 1. p. 151. 152. Clericum ad Gen. XIII. 10. XIV. 7. XXXI. 21. XXII. 2. & Turretinum in methodo interpretandæ scripturæ p. 239. 240. Insigne de prolepsibus Scripturæ S. tùm veris tùm fictis argumentum se illustraturum esse nuper promisit vir Rev. Joh. Zellerus.

Sententiam SPENCERI ad Deut. XXIII. 2. f. 105. sqq. de voce *רִמְס* elatam, quâ putat, non innui spurium, sed gentilem, non improbabilem sanè existimaverimus. Quæ f. 115. sqq. idem de ciborum & animalium delectu scribit, examinavit in epistolâ ad Jo. Casp. de Loos Dresdæ A. 1693. fol. editâ & in actis erud. Lips. 1693. Nov. p. 519. sqq. relatâ Christfr. Wæchtlerus, cui jungas velim Buddeum in hist. eccl. V. T. T. 1. p. 734. sqq. & Vogetium in oratione de natalibus ad aram Jehovah non factis p. 38. sqq. itemque Clericum ad Lev. XI. Ita & idem Wæchtlerus ad ea, quæ f. 141. sqq. de sacrorum restrictione ad certaloca exstant, consulendus est in epistolâ ad Jo. Abr. Birnbaumium Dresdæ A. 1696. fol. editâ & in actis erud. Lips. hujus anni mense Augusto p. 375. sqq. recensitâ, & ad f. 155. sqq. de sacrorum restrictione ad certa tempora in epistolâ ad Miltizium Dresdæ A. 1690. fol. culâ. Vide eadem acta 1690. mense Apr. p. 182. sqq. Meyerum in diatr. de origine & causis festorum C. 11. & d' Outrein de clangore Evang. dis. XI. p. 217. sqq. Jam & Cremerus in commentario mystico in Lev. XXI. §. 24. 25. p. 60. sqq. SPENCERUM reprehendit, f. 173. statuentem, quòd Deus tantùm personarum sacrarum honori prospexerit, ubi jussit, ut sacerdotes etiam ab omni corporis maculâ essent immunes.

Magis adhuc reprehendendus venit Noster, ubi de fine secundo legum ritualium agit, quem ait fuisse repræsentationem rerum quarundam Evangelicarum & officiorum moralium f. 208. sqq. Sic ille satis frigidè, cum non saltem asserat, perpauca in hisce legibus esse, quæ huc spectent, sed & ajat, hieroglyphicam illam legum istarum rationem Ægyptiorum mysteriis hieroglyphicis accommodatam à Deo & Mose fuisse, maximè, cum hujus utpote sapientiæ Ægyptiorum hieroglyphicæ innutriti ingenio ista arriderent. Conferri possunt, quæ heic contra SPENCERUM diximus in diss. de rectâ Theologiæ typicæ conformatione C. 1. §. 3. & C. 2. §. 5. sqq. ubi & Socinianos, Remonstrantes, Thomasmus, Joncourtium & Poirerum notavimus, eandem ferè cum SPENCERO tibiam instantes, & diss. de rectâ Theologiæ parabolicæ & allegoricæ conformatione C. 2. §. 7. ubi argumenta ejusdem SPENCERI, Clerici quoque & ejusdem Joncourtii atque etiam cel. BARBEYRACII hanc in rem examinavimus. Scilicet nec nimis cumulandi sunt nec exhibilandi typi, vitandus hîc est excessus, vitandus & defectus, mediaque ineunda via, quam in dissertationibus illis commendavimus & monstravimus. Jam verò & in excessu heic peccasse existimamus Theologum Lugdunensem Batavum longè doctissimum, qui Theologiæ typicæ, emblematicæ & propheticæ institutiones Lugd. Bat. A. 1730. edidit, Jo. van den Honert, qui in præfatione hujus libri Theologiam typicam adversus Clericum & Limburgium defendit. Adde Zornium in Biblioth. antiqu. exeg. T. 1. p. 836. sqq. & Amelium in N. T. T. 1. p. 437. & T. 2. p. 842. Quod restat, de Mosis ingenio hieroglyphicis Ægyptiorum mysteriis innutrito vide eundem Zornium l. c. T. 1. p. 829. sqq. Snabelium in Orat. de origine & profantia Theologiæ hieroglyphicæ & typicæ, amœnitatibus Theologicis præfixa, Adami in exercit. exeg. 2. p. 92. sqq. Bashuysen in diss. de Mose, Ægyptiorum sapientiâ imbuto & regni Ægyptiaci Candidato & Rev. Walchium in observationibus ad libros novi fœderis obs. 8. de sapientiâ Mosis p. 62. sqq.

Hypothesin

d